

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8973

**Auteur(s)** : Ascien Duc [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1171-1200]

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Pancarte regroupant 21 donations, concessions et échanges faits à l'abbaye Notre-Dame de Mortemer.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Évreux, Archives départementales de l'Eure, H 592.

## Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Parchemin endommagé. Le texte est parfois illisible au bout des lignes.

Texte d'après A

¶ Ascius Dux dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris, quando Drogo filius ejus in ea[dem] ecclesia receptus est in conversus, duas acras terre sue in valle nemoris in elemosinam perpetuam, liberam omnino et quietam. Hoc totum concesserunt Bernardus Dux et filius ejusdem Bernardi et manu sua super altare posuerunt et affidaverunt quod eandem terram ad opus ecclesie contra omnes homines tuebu[ntur] pro posse suo. Et quia hoc concesserunt, omnem reliquam terram ejusdem Ascii in hereditate possederunt. Testes, Gislebertus [sacerdos], Ebroinus de Warecliva, de cujus feodo est ipsa terra, et Matheus et Robertus filii Ebroini, et Ricardus de Warcliva. [¶ W]alterus sacerdos de Turfrevilla tradidit fratribus Mortuimaris unam acram terre de elemosina Sancti Petri, terram nemorosiam et incultam, pro qua terra fratres reddunt ecclesie Sancto Petri de tali blado qualem terra portaverit et anno quando portaverit unam minam bladi. Hoc autem concesserunt parrochiani ecclesie et ipse Walterus sacerdos accepit de caritate ecclesie .V. solidos. Testes, Gislebertus sacerdos de Warcliva, Baldericus sacerdos, Hugo de Plaisseio, Robertus Pance de cujus feodo terra ipsa est. ¶ Balduinus de Ponte veniens ad conversionem dedit Deo et ecclesie Mortuimaris in elemosinam perpetuam, liberam omnino et quietam, unam acram terre in ortis Torolville. Hanc autem terram tenebat Radulfus de Ponte in vadimonio et fratres redemerunt de duodecim solidos. Et preterea quia acra non erat per facta in ortis Torolville dedit ipse Balduinus eidem ecclesie unam virgatam terre in valle Ebroini. Hoc concesserunt filii ejusdem Balduini, Thooboldus (sic) scilicet et Radulfus et Durannus. Testes, Walterus decanus (sic pour decanus), Radulfus de Ponte et ceteri suprascripti. ¶ Radulfus filius Balduini de Torfreivilla concessione Theoboldi fratris sui, condonavit ecclesie Mortuimaris in elemosina perpetuam et obtulit super altare unam minam frumenti, quam ecclesia ei debebat annuo redditu, et accepit de caritate ecclesie XXX. solidos Andegavensium et Theoboldus sotulares pro concessione. Testes, Hugo de Advesnis et Hugo de Friei nepos ejus. ¶ Radulfus filius Roberti Pance dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris in elemosinam perpetuam, liberam omnino et [quietam], campum suum in ortis Thorolville, concedente fratre

suo Symone, et accepit de caritate ecclesie .XL. solidos. Testes, [...] filius Wiberti de Pleisseiz, Ricardus de Creissantvilla, Odo de Baschevilla, Odo de Manechevilla. ¶ Radulfus de Sancto Albino dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris in elemosinam perpetuam, liberam omnino et quietam, pro salute anime sue et antecessorum et heredum suorum, .IIas. acras terre sue, quarum una est in ortis Thorolville, juxta terram quam Robertus frater suus eidem ecclesie dederat, altera vero in campo de VII. perticis. Hanc autem donationem fecit concessione H[...] uxoris sue et Willelmi et Hugonis filiorum suorum necnon et Johannis fratris sui, et obtulit eam super altare, filius quoque ejus Willelmus adfidavit quod si eam guarantire non posset, escambium ad valentiam fratribus daret. Testes, Robertus de Pleisseiz junior, Osbertus clericus filius Amalrici et Abbertus frater ejus, Michael filius Sebastiani, Walterus Paganus. ¶ Willelmus le Per, dedit Deo et ecclesie Sancte Marie de Mortuimaris totum campum camerarii, in elemosinam perpetuam, liberam omnino et quietam, pro salute anime sue et antecessorum et heredum suorum, si tamen uxor sua reclamaverit eo quod una acra predicti campi pertinet ad dotem ipsius, ecclesia recipiet tantundem terre ad Marambertee, quam dederat ei in escambium. Testes, Willelmus Crispinus, Ricardus de Pleisseiz et Hugo frater ejus, Robertus de Pleisseiz junior, Walterus Pinel de cujus feodo terra ipsa est. ¶ Burgis de Sancto Albino se reddidit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris et pro salute anime sue dedit eidem ecclesie duas acras terre sue in campo Corneoli, concessione filiorum suorum, s[cilicet], Willelmi de Sancto Albino et Hugonis clerici et Hugonis de Radeponde, ita quod Willelmus primogenitus ejus et Symon Pance de cujus feodo terra ipsa est, obtulerunt eam super altare, et promiserunt eam tueri liberam et quietam ad opus ecclesie contra omnes homines pro posse suo. Ecclesia vero predictam Burgem recepit, ita quod ei tota vita sua sufficientem victum et vestitum inveniet, et in obitu ejus servitium pro anima ejus faciet. Hanc autem terram tenebat in vadimonio Gislebertus de Moreinni, sed ecclesia dedit ei escambium terre sufficiens ad gradantum suum in valle arrabli. Testes, Innocentius et Baldricus de Turfreivilla, sacerdotes, Robertus de Ponte, Walterus Paganus. ¶ Willelmus de Sancto Albino quando frater ejus Hugo venit ad conversionem dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris duas acras terre sue, s[cilicet], campum de Mara Gisleberti, in elemosinam perpetuam liberam omnino et quietam, et obtulit eam super altare, et promisit quod eam pro posse suo ad opus ecclesie contra omnes homines tuebitur. Testes, Symon Pance, Robertus de Ponte, Odo de Ponte, Johannes faber, Hugo filius Turketilli, Willelmus potarius. ¶ Robertus de Ponte dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris in elemosinam perpetuam, campum suum de Ulmo et obtulit illum super altare et accepit de caritate ecclesie LXX. solidos et sotulares. Testes, Walterus de Lisorz, Walterus de Pleisseiz. ¶ Balduinus de Turfreivilla et Teiboldus filius ejus concesserunt Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris .IIas. acras terre quam predicta ecclesia [te]nebat de dono Radulfi de Pleisseiz quam calumpniabantur dicentes quod sua erat, adfidaverunt quoque quod hanc eandem terram et quicquid ecclesia de feodo eorum habet tuebuntur contra omnes homines pro posse suo, quod que ipsi inde querelam non movebunt in perpetuum, acceperunt autem de caritate ecclesie .VII. solidos et dimidium Cenomanensium. Testes, Hugo decanus de Grainvilla, Florentius frater ejus, Walterus de Lisorz, Walterus Pinel, Walterus Foart. Actum anno ab incarnatione Domini M°. C°. LXIII°. ¶ Robertus filius Helie dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris quendam campum terre sue, concessione uxoris sue et [filio suo et] Hugonis de Pleisseiz fratris sui de quo tenebat eam et adfidavit quod contra omnes homines eam tuebitur ad opus ecclesie. Ideoque accepit de caritate ecclesie .IIIor. libras et XV. solidos. Testes Balduinus de Turfreivilla, Teiboldus filius suus, Aimerus carpentarius, Ricardus carpentarius, Berengerus de Rosei, Richerius de Openiis, Gamelinus Vigil, Radulfus de Herberticurve. ¶ Robertus filius Helye dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris campum de Mara Gisleberti, concessione Hugonis de Pleisseiz [fratris] sui de quo eam tenebat, et obtulerunt super altare ipse et Hugo frater suus et Ricardus filius Hugonis et promiserunt [quod predictam] terram tuebuntur ad opus ecclesie contra omnes homines. Quod si facere non possent, escambium ad placitum fratrum de eodem feodo de Ruperes darent. Hanc conventionem affidavit ipse propria manu et quod eam concedere faceret uxori et filio. Inde accepit de caritate ecclesie .IIIor. libras et X solidos. Testes, Ricardus de Noion qui fiduciam accepit, Robertus de Plesseiz, Angerrannus de Ivirres Leve, Rannulfus Palmer, Willelmus Caperon, Herbertus de Lisorz. ¶ Hugo de Pleisseio concessit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris in elemosinam perpetuam, quicquid eadem ecclesia et in quocumque loco tenebat, sive de dominico suo, sive de terra hominum suorum. Hoc etiam concessit Ricardus filius ejus jam miles, et ceteri ejusdem liberi, anno ab incarnatione Domini M°. C°. LXVI°. Testes Matheus de Muchegros et Robertus frater ejus, Walterus miles Lisorz, Belotus de Noion, Walterus Pinel. ¶ [Eu]femia uxor Gisleberti de Bigart concessit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris quicquid eadem ecclesia habebat de feodo suo et antecessorum suorum. Et preterea dedit eidem ecclesie in elemosinam perpetuam, viam per terram suam in valle de [...]adebuese. Hoc etiam concesserunt filii ejus. Anno ab incarnatione domini, M°. C°. LXX°. I°. Testes, Helias filius Franconis, Robertus [..... de Muc]egros, Radulfus de Boltonia, Robertus

de Campania, Paganus de Turfrevilla, Richerius de Openiis. ¶ [Notum] sit omnibus presentibus et posteris quod Ebroinus de Warcliva commutavit abbatie de Mortuimari campum vallum [.....]o et campum Roberti filii Radulfi de Chaisneio, pro campo camerarii et pro duobus campis in Brunoville. Propter hec [commutationem.....] filii ejus, Matehus, Robertus et Petrus et affidaverunt tenere in perpetuum. Et accepit de caritate ecclesie equum unum. Et [pro hec] pactione, Ebroinus, omnes querelas quas a prima positione domus usque in diem quo hec facta sunt adversus abbatiam [.....], remisit in perpetuum, ut opere suo vel suorum propter querelam quam ante hoc adversus eam habuit, non debeat [.....] Quia vero partem terre quam cambiavit abbatie scilicet campum Roberti filii Radulfi in Chaisneio accepit ab hominibus [.....] [R]aymondo et Aeliz uxore ejus et filiis suis Godefrido et Roberto, ab Emma quoque et Ascio filio, dedit eis Ebroinus campum [.....] Bosci et campum de Trembleio et iterum campum de valle Chaisnei. Et ipsi concesserunt concambium istud, et [.....]nt tenere pacem cum ecclesia, ut propter hoc amplius non moveant querelam. Testes, Gislebertus sacerdos de Warcliva, [Rogerus] sacerdos de Lisorz, Godefridus de Maisnil, Fulbertus de Warcliva, Robertus de Plaisseiz, Balduinus de Ponte, Hugo nepos [.....], Robertus filius Beatricis de Salceio. ¶ Iterum Robertus filius Radulfi de Plaisseio, cambiavit ecclesie Mortuimaris [.....] Radulfi leprosi et campum quem tenebat Walterus Foart, et in hora culture de Ruptiz et Boterus terrarum [.....]ville propter [du]os campos in valle Brunvallis. Testes, Gislebertus sacerdos de Warecliva et reliqui suprascripti. ¶ Robertus de Ponte dedit Gisleberto filio Odeline sororem suam in uxorem, et cum ea dedit ei in matrimonium duas portiones terre sue, quarum una est ad Platam Maram, altera ad Corneolum, easdem portiones terre dederunt Gislebertus et uxor sua Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris in elemosinam perpetuam liberam et quietam, concessione predicti Roberti de Ponte, et obtulit eandem elemosinam Gislebertus super altare, et propria manu adfidavit quod eam contra omnes homines tuebitur ad opus ecclesie, et si eam tueri forte non posset, inde gradantum ecclesie faceret, accepit autem propter hoc de caritate ecclesie .L. solidos Andegavensium et duarum minas frumenti. Testibus, Eustacio sacerdote de Manechevilla, Johanne sacerdote de Rosei, Baldrico clerico de Turfrevilla, Radulfo de Ponte, Gaufrido filio ejus. ¶ Robertus filius Odonis de Ponte, concessione Hawis matris sue, et Odonis fratris sui, dedit Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris quinque minas bladi quas ei debebat ecclesia annuo reddito et concessit eas in elemosinam perpetuam liberam omnino et quietam, et super altare eandem obtulit. Insuper etiam ad fidavit et ipse et mater ejus et frater ejus quod nichil amplius super eam reclamabunt, et inde accepit de caritate ecclesie .III. libras Andegavensium. Testibus, Matheo de Muchegros et Roberto fratre ejus, Rogero Bannart de Alta Avesna, Waltero porcario, Rannulfo portario. ¶ Radulfus Bufi et Hugo frater ejus dederunt Deo et ecclesie Sancte Marie Mortuimaris, campum suum de Platamara, et .VI. denarios quos eis debebat ecclesia annuatim pro alia terra quietos clamaverunt in elemosinam perpetuam, quam obtulerunt super altare, et adfidaverunt quod ad opus ecclesie eam tuebuntur pro posse suo, et inde acceperunt de caritate ecclesie .XL. solidos. Sed si eam tueri non poterunt, pecuniam predictam ecclesie restituent. Testibus, Waltero Bendengel, Radulfo Brecart, Godefrido Foart, Godefrido de Pleisseiz, Roberto de Clarobeco, Gaufrido fratre prioris, Espileman, Henrico Malagrat. ¶ Radulfus filius Roberti Pancie et Radulfus Brecart moverunt calumniam super campum de Asino apud Mesengeram qui postea nobiscum in gratiam redeuntes Deo et ecclesie Mortuimaris dederunt in elemosinam perpetuam quicquid sui juris erat vel esse poterat in terra illa, et super altare posuerunt et affidaverunt quod non inde amplius querelam movebunt et quid eandem terram contra omnes homines tuebuntur pro posse suo. Hoc etiam concessit et adfidavit Ricoldis uxor Radulfi Brecart et acceperunt de caritate ecclesie .XXti. solidos Andegavensium et unam juvenculam. Testes, Johannes filius Luce de Rotoago et Robertus de Cordellevilla, Robertus de Campania, Teoboldus filius Balduini de Turfrevilla, Odo Goi.